



Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1856

XIX. Markgraf Albrecht II. bestätigt dem Kloster Lehnin die Schenkungen seines Vaters und seines Bruders, im Jahre 1208.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54716)

XIX. Markgraf Albrecht II. bestätigt dem Kloster Lehnin die Schenkungen seines Vaters und seines Bruders, im Jahre 1208.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Secundus Albertus, dei gracia brandenburgensis marchio. Diuine inspiracionis gracia patris nostri concordia illustrante, cum mundialis glorie defectivam atque fallacem animadverteret fruitionem; habito heredum suorum consensu, claustrum lenhyn ob remedium anime sue ac tocius parentele sue deuota mente construxit. Innotescat ergo vniuersis tam futuris quam presentibus Christi fidelibus, Nos quecunque pater noster otto marchio in brandenburg ac germanus noster secundus otto sancte dei genitrici marie in lenhyn optulerunt, addendo ea, que subjectis partibus annotantur, sigilli nostri appensione confirmare. Verum ut collata magis per cognitionem stabiliantur, singularum nomina villarum cum appendiciis suis et reliquis claustri possessiones exprimere dignum duximus. Ipsum fundum, in quo situm est ipsum cenobium, cum terminis suis et aqua eorundem ab ortu suo usque ad molendinum Nonnitz, cuius videlicet termini se extendunt ad aquilonem usque ad viam qua ibit de noumitz versus golistorp, per quam viam in directum extensam limites claustri distinguuntur euidenter, vsque ad compitum illud, quod ex transuerso adueniens directe perducit in minus colpin, quod videlicet colpin minus stagnum ejusdem cenobii terminis integraliter attinet, michelstorp cum adjacentiis suis, Goriz cum adjacentiis suis et stagno propterposito, Radele cum adjacentiis suis, Swine cum adjacentiis suis, Priscere cum attinentiis suis, duas partes gotiz cum attinentiis suis, Detzist cum appendiciis suis, videlicet agris et aqua ob ule in quantum terminos eiusdem ville contigerit, Namitz cum terminis suis et quinque tractibus sagene in stagno ex inferiori parte ville adjacente, Sed et molendinum in eadem villa, cum omni utilitatis prouentu, Wachowe cum terminis suis et dimidietate stagni quod ville golitz et Wachgow interjacet, Wellenewode cum pertinentiis suis, Slaucum tornow, cum pertinentiis suis et silua que vulgo havelbruck dicitur vsque ad riuum plane, qui ipsam siluam interfuit, duo prata, unum in terminis ville Wida, aliud in terminis ville Detzist, quinque winscepel salis in theoloneo brandenburgico. Statuimus siquidem bona jam denominata nulli cuiusvis secularis potestatis seu nostro vel successorum nostrorum juri subiacere scilicet aduocacie, communi placito, expeditioni, urbano operi vel qualicumque seruiicio, sed prefati cenobii fratres ea libere possideant. Inhibemus etiam, ne quis iudicum, advocatorum vel bedellorum nostrorum, in ejusmodi jam dictum monasterium ausu temerario molestare presumat. Preterea ne monachi vel conuersi et seruientes ipsorum, inhoneste ab injuriosis exactionibus aliquando pulsantur, decernimus eos in omni dominio nostro a solutione theolonii fore exemptos. Igitur ut hec inconvulsa perpetuo maneant attestacionem veracium virorum adhibemus, quorum nomina sunt hec: Sifridus capellanus, borchardus sacerdos in Nedecim, henricus canonicus sancti sebastiani, godefridus notarius, henricus de Pelcowe, Rudolfus dapifer, Rudolphus pincerna, Henricus pincerna, Theodericus Wusterbusch, Alexander de Tuchem, Albertus pingwift et alii quam plures clerici et laici.

Actum anno dominicę incarnationis millesimo CC. VIII. indictione vndecima.

Aus einer Copie des 14. Jahrs. L. v. Ledebur Archiv VII, 170.